



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1063. Usque Ad Annum 1100

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1761**

**VD18 90117964**

§. 41. Romanus Diogenes a Turcis captus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66363](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66363)

Sæculum XI. nus Diogenes, armatus, Regiam intrat,  
A.C. 1071. & Imperatrici nuptiali fœdere jungitur.  
 Mox etiam Imperator prima Januarii,  
 Indictione sexta, anno mundi 6576. JE-  
 su Christi 1068. proclamatur. Ex hoc  
 Patriarchæ Xiphilini facto Lector judi-  
 cet, quid de virtutis laude, qua eum  
 Historiæ Scriptor Joannes Scylitzes Cu-  
 ropalates exornat, sentiendum sit.

## §. LXI.

*Romanus Diogenes a Turcis captus.*

Romanus Diogenes primis duobus re-  
 gni sui annis secundas aliquot expe-  
 ditiones in Turcas fecit. Sed anno 6578,  
 Indictione octava, nempe anno Salutis  
 1070. mutata fortuna Turcæ felicibus  
 armis in Natoliam penetrarunt, capta-  
 que civitate Chonenſi, olim Colosso in  
 Phrygia, celeberrimam Ecclesiam S. Mi-  
 chaelis polluerunt, cædibus & humano  
 sanguine repleverunt, & deinde in equo-  
 rum suorum stabulum verterunt. An-  
 no sequente, millesimo septuagesimo pri-  
 mo Diogenes Græcis ex acie fugientibus  
 in potestatem Sultani *Olub. Arſe'an*, cu-  
 jus de pace Legatos superbe prius re-  
 spuerat, venit. Is Diogenem in conspe-  
 ctum adduci jussit & prostratum pro  
 more gentis calcavit, moxque erectum  
 amplexus humane habuit, & octo die-  
 bus apud se retinuit, mensæ etiam con-  
 vivam

*Curopal.*  
*p. 834.*

*p. 841.*

vivam adhibens. Cum Sultano quadam die quærenti, *si vice versa ego in manus tuas incidissem, quomodo captivum habiturus fuisses?* Diogenes ferociter respondisset: *Inter verbera animam efflare coegissem, ille reposuit: ego vero animam a natura sortitus sum a sævitia tua alienum. Præterea Christus vester vobis pacem & injuriarum oblivionem tantopere præcepisse dicitur. Nec factum Barbari a dictis abhorruit; nam conscriptis pacis conditionibus honestis Diogenem dimisit.*

Sæculum XI.  
A.C. 1071.

p. 843.

Interim acceptæ cladis nuncio Constantinopolim perlato, Joannis Cæsaris, defuncti Constantini Ducæ fratris, & Senatorum ipsius partibus faventium auctoritate & artibus, Eudocia Imperatrice rafa, & in monasterium ab ipsa fundatum relegata, Michael Ducas ejus filius primogenitus solus Imperator salutatur. Mittuntur in omnes provincias literæ, ne quis amplius Romanum Diogenem Imperatorem veneraretur. Ipse ad Græcos reversus, non obstante, quod tres Archiepiscopi ad eum missi fidem dedissent, nihil eum molestiæ passurum, effossis crudeliter oculis, tumente vulneribus capite ac vermibus scatente post paucos dies, Deum laudans, atque raro patientiæ exemplo malam sortem tolerans, vitæ & calamitatis finem fecit.

Michael

Sæculum XI. Michael juvenis, cognomento Parapina-  
A.C. 1071. cus, annis sex & dimidio regnavit.

Ad Michaelem ergo Alexander Papa  
*vit. per Bru.* Legatum misit Petrum Episcopum Ana-  
*Ast. tom. 2.* gniensem virum virtute & doctrina ce-  
*p. 153.* leberrimum, qui uno anno Constantino-  
poli, scilicet toto reliquo, quo Alexan-  
der sedit, temporis spatio, moratus est.  
Natus erat Petrus Salerni ex Principum  
sanguine, eumque a puero vitam mona-  
sticam professum, Hildebrandus Cardi-  
nalis, cum Salerni Legatione fungere-  
tur, ab Abbate ipsius sibi expetitur Ro-  
mam deduxit, ubi jubente Alexandro  
Papa in causis Ecclesiasticis exercitatus,  
& deinde Episcopus Anagninensis, ut ut re-  
luctaretur, consecratus est. Hanc vero  
Ecclesiam rexit Petrus annos quadragin-  
*Mart. Rom.* ta tres obiitque tertia Augusti, qua die  
*3. Aug.* Ecclesia ejus memoriam colit.

## §. XLII.

*S. Petri Damiani extrema.*

*vit. c. 9. ap.* Henricus Archiepiscopus Ravennas, ab  
*Boll. 23.* Alexandro Papa excommunicatus, ni-  
*Febr. to. 5.* hilominus Ministerio Episcopali fungi non  
*p. 416. item* cessaverat, populusque pastori suo devo-  
*Sæc. 6. Be-* tus eadem excommunicationis censura  
*ned. n. 48.* innodatus fuerat. Quare S. Petrus Damia-  
*p. 264.* ni datus ad Papam literis rogaverat, ut si-  
*Lib. 1. ep. 14.* cut jam prius animo constituisset, hunc  
Præsulem ab excommunicatione absolve-  
ret,